



# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

- O Puer alme, veni!, CANALS  
Salve, Aloisi Canals! ORTEGA  
Purissimo Cordi Mariae supplicatio  
Andreana, AVENARIUS.  
Commercium epistulare.  
Nova et Vetera, MIR  
In Deiparae Virginis Assumptionem,  
MAULEÓN  
Quintilianii iudicium de Seneca Philoso-  
pho. ORTH  
Magister Beatus Joannes de Avila, BRUNSÓ  
Compositiones vertendae.  
Epistolia soluta  
Bibliographia, MAULEON, JIMÉNEZ  
Exercitationes Scholares, ROURA, TOMÁS,  
DIES

Ordinarii et Superiorum licentia

## O Puer alme, veni!

(Imitatio carminis *Verbum Caro*, cfr. PAL. LAT. n.º 76, pag. 107)

*Sidera clara poli, placidas hac fundite lucas  
Nocte peroptata, sidera clara poli!  
Vos fugite, o tenebrae, condentes tristia vela;  
Ut niteant caeli; vos fugite, o tenebrae!  
Dulce melos, Querubim, testudine divite vestra  
Harmoniis manet dulce melos, Querubim,  
In gelido stabulo quod Jesus, Virgine casta,  
Ingemit, ortus nunc in gelido stabulo.  
Frigora, cur Pueri, torquetis candida membra?  
Torquetis Matrem, frigora, cur Pueri?  
O Puer alme, veni! atque tuas in pectore cunas  
Finge meo ardenti; o Puer alme, veni!  
Te calidus cupio, te, Jesu, semper amare  
Atque occumbere pro Te calidus cupio.*

ALOISIUS CANALS, C. M. F.

## Salve, Aloisii Canals!

*Die reverso, quo volucris pede  
Ad astra felix raptus es, inclite  
Amice, singultu frequenti  
Te repeto meditatus oden.  
Te illacrimavi carmine lugubri,  
Sat funeri: te tempora laureis  
Sertis revinctum nunc celebros  
Aetheriaque domo receptum.  
Salve! Palaestrae gloria, lumine  
O frons ephebi plena poetico,  
Cui dona tot diffudit olim  
Virgo modis recreata divis!  
Vix lustra fausta corpus avi tuum  
Quater peregit, cum tua cantica  
Miratus est orbis, superne  
Vatibus et sociatus altis.  
Illinc ruinam temporis invidi  
Vincis: licet nunc labra premat tua  
Silentium duri sepulcri,  
Care poeta, canes ab astris!*

ALPHONSUS ORTEGA, O. F. M.

IV idus februar. Lorcae

Recurrente die anniversario obitus Aloisii

## Purissimo Cordi Mariae supplicatio

*Quis possit altos, pia ferreus  
Fletus tenere et non lacrimabilis  
Quis, Virgo, possit cum gemiscis  
Tristitiae cobibere motus?  
Septem dolentem vidimus impio  
Te pugionum martyrio, tuum  
Cor mille nunc urgent acuta  
Spicula, dum rapit error orbem.  
En quæ scelestæ mens tua munera  
Legat! salutis pignus ab orphanis  
Recede, soli nos secemus  
Nocte fretum furialis vitæ.  
Fulmen Tonantis sed reboat minax...  
Factamur omnes ludibrium maris,  
Descende, tristes et benigno  
Jam gremio tege nos fovendos.  
Tibi supinas tendimus exsules  
Palmas precantes: nos, bona, respice;  
Ruptumque nostræ tot procellis  
Stringe ratis moderamen, eja!*

Lorcae, Kalendis martiis

# EDITORIAL GRAFICAS CLARET

## TEXTOS PALAESTRA

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

### 1.º y 2.º Cursos:

Historiae Sacrae Compendium  
(2.ª edición) 4'00 ptas.

Epitome Historiae Graecae  
(3.ª edición) 5'00 »

C. Nepotis Vitae Excellentium  
Imperatorum (en prensa)

Primer Curso de Lengua Latina  
3'00 ptas.

Segundo Curso de Lengua Latina  
5'00 ptas.

REPETITORIUM } en cartóné 12'50 ptas.  
                          } en tela 15'00 »

### 3.º y 4.º Cursos:

Ciceronis Epistulae Selectae 3'00 pts.

Caesaris de Bello Civili (agotado)

Ciceronis in Catilinam (I.ª) 3'00 pts.

Ciceronis pro Archia-poeta 3'00 pts.

### 5.º y 6.º Cursos:

Sallusti de Catilinae Coniuratione  
4'00 pts.

Vergilii Aeneidos liber II 4'00 »

Horatii Carmina Selecta (en prensa)

T. Livii Historiae Selectae 6'00 »

De Orthographia Latina 3'00 »

### 7.º Curso:

Prudentii Carmina Selecta (agotado)

Homeri Odyssea (canto 1.º) 5'00 pts.

### Edición de sólo texto latino:

Ciceronis Epistulae 1'00 pta.

Ciceronis in Catilinam (I.ª) 1'00 »

Ciceronis pro Archia 1'00 »

Sallusti de Catilinae Coniuratione  
2'00 pts.

Vergilii Aeneidos liber II 2'00 »

T. Livii Historiae Selectae 3'00 »

## Otras obras de la Editorial

Las Maravillas de Fátima      Fonseca, S. J.      8'00 ptas.

Fátima y el Corazón de María      Ribera, C. M. E.      4'00 »

### Devocionarios del P. Ribera:

Mi Jesús . . . . . 6'90 ptas.

Dios conmigo . . . . . 4'00 »

Querubín . . . . . 2'75 »

Angel de la Infancia . . . . . 2'00 »

El Niño Piadoso y la Niña Piadosa . . . . . 4'00 »

Angel de la Juventud . . . . . 5'00 »

Mi Primera Comunión . . . . . 5'00 »

# ¿Desea un Diccionario LATINO-ESPAÑOL

**EXACTO, CORRECTO, ELEGANTE, para la versión española?**

Lo encontrará en el **Diccionario**  
del catedrático **D. Eustaquio Echaury**

Contiene una lista muy completa de **PRETERITOS** y **SÚPINOS**; otra de nombres propios y un **Diccionario Español-Latino**. Señala, además, la cantidad de la **VOCAL**, que es lo que tiene verdadera importancia.

Forma un tomo de 850 páginas en 8.º — Ptas. 30— 5.ª edición

OBRAS DEL MISMO AUTOR:

**Crestomatía Latina**, para los siete cursos.

**Gramática Latina**, en dos tomos (obra premiada)

**Literatura Latina**, (premiada) en prensa la segunda edición

Todo en:

**EDICIONES ATLAS, Ibiza, 29 - Madrid**

## FOTOGRAFADOS

# M. JOLANO

ARIBAU, 9, INTERIOR TELEFONO, 30255

## BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# PALAESTR A LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 15 pesetarum in Hispania et Lusitania, 16 pes. in America et Philippinis insulis, et 17 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1048

## ANDREANA <sup>(1)</sup>

Agapitus autem, Anconitanus Antistes, hymnum scripserat, qui tum cantatus est. Erant autem strophae sapphicae sic:

Primus hic Jesum sequitur vocantem,  
Et crucem primus similem subivit,  
Martyr argivis veneratus oris  
omne per aevum.

Hinc Pius Grajos populante Turca,  
Praeda ne fiat canibus cruentis,  
Tollit et sancta profugum Secundus  
Excipit Urbe.

Seque cum sacro comitem senatu  
Obviam praebet, redolente Roma  
Floribus festis, resonante clero  
Cantica laudum.

Sacra fert dextra nitidus Sacerdos;  
Splendidi carmen referunt Quirites:  
Alme, sis nostrae columen, precamur  
Et pater Urbis.

O, pugil sanctae fidei supreme,  
Primus agnoscens Dominum vocantem,  
Primus et leto simili triumphans:  
Protege Romam.

Fac diem faustum, Deus alme, nobis  
Fulmen in Turcas acuens trisulcum.

Audit Andreas populum precantem  
Talia reddens:

Te precor, caeli sator atque terrae,  
Tolle jam clades scelerumque poenas,  
Et tui tandem populi misertus  
Contere Turcas.

Hoc Pius Pastor meritique tanti  
Pronus exorat: Miserere fessis,  
Da manum mundo prope jam labenti,  
Maxime Rector.

Hoc duces Urbis Petrus atque Paulus  
Supplices poscunt pariterque Roma.  
His velut nitens geminis columnis  
Strata precatur.

Da Pio vitam, rogitamus omnes;  
Solutus in Turcas animo perenni  
Ausus Alpinos superare montes  
Arma vocavit.

Et caput praebet proprium libenter,  
Nomen ut Christi veneretur orbis  
Et viam nostrae videat salutis  
Perfidus hostis. Amen.

Deinde cantato hymno Ambrosiano pompa procedere coepit, qua se magnificentiore, quae item plenior religionis esset, via Flaminia antiquissima non meminert. Nam videbat inter undantium hominum agmina incedere per aromata viae nobilitatem urbanam et exteram gestantem lumina, post eam tot ecclesiarum antistites ipsosque cardinales pedestres omnes — nam sic voluerat Pontifex — multos

(1) Cfr. fasc. superiorem, p. 291.

aetate aut valetudine fractos, palmas tenentes manibus, et resonabant circum loca sacrorum concentu carminum piisque symphoniis.

Solus Pontifex throno insidens sub aurea umbella portabat caput apostoli.

Illo autem die processum est usque ad ecclesiam S. Mariae populi. Pius sacram sarcinam deponit in maiore ara aedis noctemque illam egit hospes adjacentis ecclesiae coenobii. Ea deinde nocte, cum pridie sudum fuisset, densissimi fundebantur de caelo nimbi totaeque aquarum fasciae. Et omnium animos pervadere timor coepit, ne tali caeli inclementia turparetur instantis diei sollemnitas. Sed eo maiore cum gaudio omnium proxima aurora serenissimum caelum advexit. Continuatur igitur per viarum ambages iter, dum ventum est ad S. Petri basilicam mille luminibus collustratam. Deposito ad confessionem Petri capite Andreae et assidente Pio, Bessarion cardinalis longiusculo sermone circumstantes ad bellum Turcis inferendum inflammabat, quem illi, licet iam defatigati essent viae longitudine, summa patientia auscultabant. Post Bessarionem Pius iterum alloquens Apostolum hunc fecit loquendi finem: «Pollicemur tibi, Sancte Andrea, dignissime Christi Apostole, ad reducendas oves tuas et ad recuperandam tuam in hac terra domum, omnia nos esse suscepturos. Neque enim quidquam aliud ita nobis est cordi, quam defensio religionis Christi veraeque fidei cui Turcae et tibi et nobis infensi minitantur interitum. Si principes Christiani voci oboedientes nostrae suum sequentur Pastorem, tota gaudebit Ecclesia, quod nos, nostri officii quae essent, non neglexerimus et quod tu non frustra auxilium requisiveris tui fratris». Data indulgentia et apostolica benedictione turba dimissa est. Caput deinde portatum est in sacellum, quod Pius basilicae ipsi adjungendum curaverat, ubi in marmoreo scrinio ut in tabernaculo inclusum servabatur. Hanc tantam sollemnitatem et celebrationem nos in VI lectione Officii S. Andreae commemoramus haec legentes verba: «Caput Pio II Pontifice, Romam allatum in basilica Sancti Petri collocatum est».

Et tu quidem, Piorum Pontificum secunde, praeclare solvisti, quae illo die medius inter innumerabiles turbas ante sacrum Andreae Apostoli verticem eras pollicitus. Tu, quem quidam cardinalium ad electionem successoris Calixti III congregatorum parum idoneum futurum Antistitem cogitassent: «Quonam pacto pontificatu dignum putarent Piccolonium, laborantem podagra, inopem restauratorem pauperis Ecclesiae, hominem ignotum et nuper ex Germania profectum, idoneum, qui eodem etiam Curiam transferret Et quibus litteris esse? Poëtamne levaturi essent in Petri cathedram eum, qui praeceptis paganis gubernaturus esset Ecclesiam» tu arthritide et calculo et assidua tussicula quinquagenarius jam senex mira voluntatis constantia ab initiis pontificatus tui usque ad mortem, quae te acerba ob ignaviam eorum, quorum a te sustinebatur causa, Anconam secuta est, unice Ecclesiae atque religionis libertatem meditabar. Si tibi contigisset tuos transfundere spiritus in illos rerum publicarum rectores qui sua venari tantum commoda videbantur, si tibi, ut filios oporteret, patri paruisent, Graecia hodie catholica esset et haud scio an multa pars asseclarum Mahomedi nobiscum una de mensa aleretur Christi.

Quod autem dixi tabernaculum capitis Andreae Apostoli, ubi scala ab statua apostoli descenderis in hypogaea Petri templi, conspicias. Destrueta postea veteri basilica caput Andreae aediculam accepit in una ex quatuor anteis, quibus novae basilicae portatur tholus, ubi singulis annis pridie kal. dec. conspectui et venerationi fidelium proponitur. Neque tamen, ut jam dictum a me est, caput ipsum conspicitur. Post intervallum saeculorum quatuor homo quidam infortunatus sacrum Andreae verticem auferre ausus est. Sed ascendens in montem Janiculum, fortasse conscientiae exagitatus stimulis — se animum induxisse, ut sacrilega et scelestam manu contrectaret cimelium catholici orbis, caput primarii apostoli, quod tantam Romae habuisset et haberet venerationem — in viae angulo in terram projectum reliquit. Quo loco repertum est, jussu Pii Papae IX aedicula constructa est et marmorea apostoli statua posita his incisus verbis: Andreae Apostolo Urbis sospitatori — Pius IX Pont. Max. — Hic ubi caput ejus furto ablatum reperit — Monumentum rei auspiciatiss. dedicavit — Anno MDCCCXLVIII.

Nunc, ne finis narrationis tam ingrati eventus memoria sit, redeamus Amalphim, quo etiam pars capitis Apostoli, et occipitium quidem a reliquo capitis recisum perlatum, ne scilicet corpus in illa urbe quiescens penitus truncum esset. Quo tempore hoc factum sit et quibus auctoribus, non video. Est in martyrologio Romano die translationis corporis S. Andreae et S. Lucae et S. Timothei (dies est ejus mensis nonus): ex ossibus Andreae Apostoli manare jugiter liquorem ad sanandos languores. Intelleges mea nonnihil interfuisse ejus rei accuratius cognoscere veritatem. Itaque ante annos decem, cum in quadam ecclesia S. Apostoli in contione rem commemoraturus essem, non sum veritus ipsum adire Amalphitanum Antistitem. Qui benignissime humanissimeque respondens me docuit ampullam vitream supra loculo sacrarum exuviarum pendentem festo ipsius Apostoli die repleri ultero denso quodam liquore et hunc vulgo «manna Andreae» vocari. Et non semel factum esse ut manna illud existeret in ampulla etiam aliis anni diebus, cum vel praecipua pietas, aut magna fidelium necessitas exegisset. Rem idcirco singularem esse, quod ampulla nulla parte corporis loculum contingeret. Ergo vides etiam beato Andreae divinitus concessum esse, quod nonnullis praeterea Sanctis tributum est: ut perpetuato miraculo stillent oleum vel liquorem, vel ut concretus eorum sanguis positus in conspectu capitis ebulliat.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Romae.

## PROVERBIA

Ultero secant omnes excissa ab arbore ramos:

*del árbol caído todos hacen leña.*

Exprime lene citrum, succum ne reddat amarum:

*no se ha de exprimir tanto la naranja que amargue el zumo.*

## Commercium epistulare

*Martyrianus Brunsó, Presbyter, P. Josepho Mir, C. M. F., S. P. D.*

Tua magistri benevolentia et auctoritate permotus, atque permagno amore in omnes PALAESTRAE asseclas, quamquam minimus inter tui epistularis stili degustatores, has litteras tandem mittere ausus sum.

Quod si causas explorare intenderis, vel ipsas detegere coram omnibus nostris jussus ero, et in ardentissimo —dicam— cognitionis devotionisque erga Magistrum illum Beatum Joannem de Avila amplius dilatandae voto repones, et in tuis cordimarianis visceribus invenies.

Nemo est enim qui illius tanti viri vitam tuo Beatissimo Patri Antonio M. Claret simillimam in compluribus non videat. Neque te de eruditissima dissertatione tui fratris, mariologi praeclarissimi, Narcissi García, C. M. F. sub titulo «El Beato Juan de Avila, Apóstol del Corazón de María» in recentem ephemeridem «Maestro Avila» (1) inserta arbitrari inscium volo.

En non modo litterarum harum ratio et summa tota, verum alterius etiam elocubrationis adjunctae, quam tibi integre relinquo, et a te majorem in modum, si dignam existimaris, ut in nostra PALAESTRA edatur, etiam atque etiam peto. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

Te igitur, quae mea sunt, ne parvipendantur, omnino indigent.

Vehementer quae tua sunt, exspecto, nec dubites quin maxime sim facturus.

Plurimum vale.

Gerundae dabam Idib. Februariis.

P. D. Mei auditores «Mirifica Portenta», adhuc —ni fallor— non finita, supra quam cui credibile est, expectant.

*Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F. Martyriano Brunsó, Presb. Sal.*

Cum novis advenientibus amicis semper gaudere juvat, tibi que amico et conscriptori benevolo animo, salutem plurimam impertimus. Litteris tuis valde sum recreatus, in primis cum te magistrum carissimi ac desideratissimi Aloisii Canals cognovi.

Tuum loquendi genus omnibus fere numeris probamus; quaedam semper proprio scriptoris judicio relinquenda sunt; quod probum judicium legendo et scribendo certo perficies. Neque index (seu titulus) scriptiunculae tuae displicet, sed plurimum arridet. Beatus Johannes in omnibus vitae sacerdotalis exemplar existat, sicque pro nobis apud Deum praepotens deprecator.

Alumnis tuis edendi *Mirifica Portenta* spem omnem non auferam, nec tamen fidem meam interponam.

Alia exspecto tua. Vale plurimum in Domino.

Barbaastro, decimo kal. majas. a. 1947.

(1) «Maestro Avila». — Corredera, 33, Montilla, (Córdoba). — Pretium subnotationis annuae est 15 pissetarum, supplementis inclusis.



# NOVA ET VETERA



PICTURA 15.<sup>a</sup>

(Prosequitur)

MARE-PORTUS

15. — Transatlantica <sup>34</sup> navigia —expanso vexillo <sup>35</sup> — ex statione recedentia demirabar, a perito gubernatore ducta, qui canalem speculis <sup>40</sup> ac praetenturis insignitum sollerter insequebatur, barcas <sup>41</sup> devitans, quae uno velo quadro laboriose gubernantur. In prora <sup>37</sup> cellulas <sup>39</sup> secundae classis, et in puppi <sup>38</sup> exēdras vectori-bus primae classis videbam.

16. — Interdum etiam cumulandae aderam onerariae, <sup>42</sup> in quam emporii <sup>43</sup> merces stationis maritimae <sup>44</sup> congregabantur, advectae [eae merces] pluribus ferri-viae <sup>45</sup> trahaculis.

17. — Saepe numero scapha vectus sum in portu interiore, <sup>53</sup> ubi naviculae <sup>46</sup> conveniunt, mihiq[ue] in deliciis erat remos <sup>47</sup> agitare. Stegam <sup>48</sup> veliferae <sup>49</sup> ascende-bam, malum <sup>51</sup> et antennas, <sup>50</sup> ope habenarum, <sup>52</sup> egitabar; deinde inter graves pesca-torias cymbas, <sup>55</sup> ubi retia <sup>56</sup> exsiccabantur, denuo spatians, lembulo <sup>54</sup> vehebar.

18. — In crepidine<sup>58</sup> merces<sup>59</sup> variae, quae in loculis<sup>60</sup> et fascibus<sup>61</sup> continentur, ante oculos versantur; iis mercibus onerandae<sup>62</sup> erant barcae, illasque [merces] potentes tollēnes<sup>63</sup> attollebant, atque in autotrāhas<sup>64</sup> reponēbant dum rectores eas profitebantur atque portorium in telonio<sup>65</sup> solvēbant,

19. — Tandem, cum ad pontem versatilem<sup>66</sup> perveni aut ad cataractam<sup>69</sup> ante navem purgatoriam<sup>68</sup> transiens — quae canalem<sup>67</sup> purgat — e navi in molem prope semaphōrum<sup>70</sup> egressus sum.

20. — Cis crepidinem lembi<sup>71</sup> appellunt, quibus classis praefecti (seu officiales) vehuntur. Res est maxime jucunda nautas, remos unā levantes, videre, dum navis, flūibus<sup>72</sup> acta, nullo impedimento scalam (egrediendis navibus) accedit. Ibi aestus accedentes ac recedentes in ora maritima<sup>73</sup> optime conspiciuntur.

21. — Ut in domum paternam reverterem electrivēham<sup>74</sup> sumebam, cujus statio<sup>75</sup> praeficitur in palo ante officialium conventiculum fixo. In conventiculi maeniano<sup>76</sup> — ancoris,<sup>77</sup> tormentis, pyrobolisque insignito — praefectorum navaliū celebritatem percipiebam: subcenturiones navales<sup>78</sup> ense succinctos, centuriones tormentarios,<sup>79</sup> pedītes<sup>80</sup> navales gladium gestantes. Post eos classiarius<sup>81</sup> erat, qui, ad ea quae longe agebantur investiganda, conspicillum deferebat.

22. — Signifēros<sup>82</sup> quoque adulescentes videbam mandata a navarcho<sup>83</sup> accipientes aut a classis praefecto,<sup>84</sup> dum subpraefectus<sup>85</sup> eos ad navem erat adducturus.

23. — Ex eo maeniano venistissimus est prospectus: subjectum litus cum tabernaculis<sup>86</sup> et domunculis balneariis<sup>87</sup> speculari potest, atque lavationis hora narratores<sup>88</sup> ante conventiculum<sup>89</sup> exsultantes natare cernuntur.

24. — In extremo litore, ora paeninsulam<sup>91</sup> saxorum efficit, quo fluctus<sup>92</sup> refringuntur, et in ea pharus<sup>93</sup> quae noctu portum navigantibus monstrat exstructa est. Quae paeninsula arto isthmo<sup>90</sup> cum terra conjungitur.

25. — Saxea et abrupta ora,<sup>94</sup> mari concisa, producitur; mare autem in ea plures sinus<sup>95</sup> et promunturia leviter et mobiliter exprimit quae vividam venustamque reddunt oram. In jugo montis plano,<sup>96</sup> quod freto<sup>98</sup> immīnet, praepōtens castellum<sup>97</sup> et quaedam villulae sunt.

26. — Illud vero fretum e continenti insulam<sup>99</sup> valde periculosam sejungit, scopulis<sup>100</sup> et brevibus circumdātam, quo cymbae et navigia interdum offendunt. Haec autem naufragia, quamquam auxilia celeriter praebentur et scaphae salutiferae veloces adveniunt, atrocias sunt, atque aequinoctialibus et praevalidis tempestatibus quaedam naves cum omnibus rebus submersae sunt.

Quae loci vicinia non obstat quominus a classiariis portus concursetur.

## VOCABULARIUM

- 34 \*transatlanticum [<sup>o</sup>transoceanium] (navigium),  
*transatlántico, transatlantique.*  
statio, onis, f., *rada, babía, rade.*
- 35 vexillum, i, n., *pabellón, bandera, pavillon.*
- 40 specula, ae, f., *boya, bouée.*  
†prastentura, ae, f., [†palitium, ii, n.], *baliza, balise.*
- 41 barca, ae f., *gabarra, gabare.*
- 39 †cellula, ae, f., locumentum, i, n., *camarote, cabine.*  
exēdra, ae, f., *salón, salon.*
- 42 oneraria, ae, f., *navē de carga, cargo boat.*
- 43 emporium, ii, n., *almacén, depósito, entrepôt.*  
†statio, onis, f., *estación, gare.*  
\*trahaculum, i, n., †tramen, inis, n., *tren, train.*  
\*ferrivia, ae, f., *línea férrea.*
- 43 portus interior, *dársena* [de marea], *bassia à flot.*
- 48 stega, ae, f., tabulatum, i, n., *cubierta, puente, pont.*
- 50 antenna, ae, f., *antena, verga, vergue.*
- 52 habena, ae, f., *jarcia, eordage.*
- 54 lembulus, i, m., *bote, lanča, yole,*
- 60 †loculus, i, m., *caja, caisse.*
- 61 †fascis, is, m., *fardo, paquete, ballot.*  
*barca, ae, f., barca, péniche.*
- 62 tollēno, onis, m., *grúa, grue.*
- 64 \*autotrāha, ae, f., *camión, camion.*  
†rector, oris, m., *conductor, chófer, camionneur.*  
*profiteri, censere, hacer la declaración.*  
portorium, ii, n., *derecho de aduana, peaje, droit de douane, péage.*
- 65 telonium, ii, n., *aduaana, douane.*
- 66 pons †versatilis, *puente giratorio, pont-tournant.*
- 69 cataraeta [-tes], ae, f., *esclusa, écluse.*
- 68 †nāvis purgatoria, *draga, drague.*
- 70 \*semaphorum, i, n., *semáforo, sémaphore.*
- 71 lembus, i, m., *chalupa, lanča, chaloupe.*  
†praefectus, i, †officialis, is, m., *oficial, officier.*
- 74 \*eleārivēha, ae, f., *trancía, tramway électrique.*  
statio, onis, f., *parada, halte.*  
†conventiculum, i, n., *casino, cercle.*
- 76 maenianum, i, n., *balcon, balcon.*  
†tormentum, i, n., *cañón, canon.*
- 78 †subcenturio, onis, m., (locum tenens), *teniente, lieutenant.*  
†centurio, (\*capitaneus) †tormentarius, *capitán de artillería, capitaine d'artillerie.*  
†conspicillum, i, n., *anteojo, lunette d'approche.*
- 82 signifer, i, m., *alférez, enseigne.*
- 83 †navarchus, i, m., *capitán de barco, capitaine de vaisseau.*
- 84 †praefectus classis, *almirante, amiral.*  
†subpraefectus, i, m., *contramaestre, quartier-maître.*
- 86 tabernaculum, i, n., *tienda de campaña, tente.*
- 87 domuncula (cellula) balnearia, *caseta (de baño), cabine.*
- 88 natator, oris, m., *bañista, baigneur.*
- 94 saxea et abrupta ora, (rupina, ae, f.), *costa brava, falaise.*  
*leviter et mobiliter, caprichosamente, capricieusement.*
- 98 jugum montis planum, *meseta, plateau.*  
*scapha salutifera, lanča de salvamento, canot de sauvetage.*

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

## PROVERBIA

Devītat quicumque mollam, fugit ille farinam:  
*quien huye del trabajo, huye del descanso.*

Qui solus comēdit, solus sua pondera gestet:  
*quien solo come su gallo, solo ensilla su caballo.*

Fructibus ipsa suis, quae sit, cognoscitur, arbos:  
*por el fruto se conoce al árbol.*

Versio latinae opusculi *Livret explicatif des Tableaux Delmas*, editorum licentia prodiit: jura proprietatis vindicantur

In  
Deiparae  
Virginis  
Assumptionem



- I. — *Fulgida jam caeli miraris limina, Virgo,  
Sub pedibusque tuis sidera clara vides.  
O utinam vinculis exutus corporis hujus  
Ingrederer Tecum regna beata modol  
Sed si tantus honor misero haud debetur amanti  
Nec peccatorem gloria tanta decet,  
Hanc tamen aspicias praesenti lumine vallem  
Oivus ubi morior laesus amore Tui.  
Nam qui fallaces hominum fastidit amores  
Exoptatque tuo semper inesse sinu,  
Qui a tenero totum sese Tibi tradidit ungue;  
Cum sese expertem viderit ipse Tui:  
Quid nisi sollicitos poterit sperare timores,  
Et vigiles curas, et mala cuncta simul?*
- II. — *Jam caelum magno inveberis Regina triumpho  
Angelico circum suavisonante choro.  
Jam Tibi magnifico resonant caelestia plausu  
Compita, jam reboant nomine cuncta tuo.  
Undique visendi studio Tibi carmina dicens  
Obvia Justorum clara caterva ruit.  
Pars Tibi odoriferos certant perfundere flores  
Candida purpureis lilia mixta rosis.  
Pars manibus gaudent palmis agitare decoras  
Et Tibi calcanda sternere fronde vias.  
Sume licet meritas laudes, sedesque beata  
Serviat imperiis, candida Virgo, tuis.  
Sed videas quanto maneat moerore sepultus  
Ille prius nimium laetus amore tuo*
- III. — *Fine carent tristes lacrimae, pulcherrima Virgo,  
Postquam Caelicolae Te rapuere mihi.  
Te surgente die, Te decedente requiro,  
Nec meus in media nocte recedit amor.  
Ab quotiens liber vellem super astra volare  
Quo Tu laetitia pectora sancta replest  
At gemere invisae teneor sub pondere carnis,  
Nec libertatis spes datur ulla mihi.  
Interea miserum raptum in contraria pectus  
Nec patiens carnis vincula ferre diu,  
Has tandem exuvias tumulo committere vellet.  
Ingemit et fletus larga fluenta movens  
Sidera continuum tali ferit aurea voce:  
«Heu, quando aspiciam lumina, Virgo, tua!»*

Isidorus Mauleón, C. M. F.

Celsoe, 12 - V - 1947

# Quintiliani iudicium de Seneca Philosopho

(*Inst. Or. X 1, 125-131*)

In illo improbo iudicio, quod Quintilianus de Seneca Philosopho protulit, notandum est hispanum de hispano loqui. Admiratio et vituperatio Senecae inter se opponuntur. Quintilianus genus dicendi Senecae in examen vocat, ut videat si Philosophi scripta pueris legenda sint necne. Seneca reprehenditur et ex canone optimorum auctorum removetur. Quintilianus quattuor vitia dicendi Senecae objicit:

- 1) Seneca non solum «aliena» verba contempsit;
- 2) Non modo «paromoion» (παρόμοιον) ut artificium rhetoricum concupivit;
- 3) Seneca omnia, quaecumque composuit, ipse pluris aestimavit aliisque auctoribus praetulit;
- 4) Pondus rerum minutioribus sententiis diminuit.

In textu Quintiliani illa duo vitia primo commemorata mendose usque nunc lecta sunt, sed utrumque emendari potest.

Primus locus sic sonat: «si aliqua contempsisset». Illud «aliqua» sensu caret, quoniam nihil certi indicat. Recte ita describitur: «aliena» (scilicet: verba). Quae aliena verba Seneca sprexit, ut ait ipse *ep. 114, 13*: «multi ex alieno saeculo petunt verba...»

«Aliena» verba in elocutione ad electionem verborum pertinent. Mendum istud «aliqua» sic exortum esse credo: *aliena, aliona, alioua, aliqua*.

Alter quoque locus, qui proxime sequitur, ab errore liberari potest, ubi haec leguntur: «si parum non concupivisset». Haec duo vocabula «parum non» intellegi nequeunt. Aenigma hoc modo solvitur supposito verbo graeco rhetorico, cuius principium «par» et cuius finis «on» exaratur; haec vox est «paromoion». Scriba quidam «parom» separavit et in «parum» mutavit; reliquam partem «oion» in «non» falso convertit. Quintilianus voculam «paromoion» eligens, unum ex multis artificiis Senecae oratoris exprimere voluit. *Paromoion* in elocutione ad ornatum orationis et ad figuras verborum spectat. Hac ratione duo menda textus Quintiliani in iudicio de Seneca philosopho (X 1, 130) tandem deleta et correctae sunt.

Nunc ad comparisonem quandam inter Senecam et Quintilianum accedamus ut philosophum contra rhetorem defendamus.

Seneca filius, non rhetor, sed philosophus natus et factus est, quia pater filium philosophum desideravit; rhetor enim minore prorsus auctoritate quam philosophus tunc temporis frui solebat. Seneca institutione patris rhetoris tantus verborum artifex existit, ut incredibili quadam facilitate, omnes sententias ad suum arbitrium quavis forma, maxime autem minutissimis sententiis exornare et exprimere posset; ut quondam Ovidius poeta iure confessus est: «quidquid temptabam scribere, verus erat», ita Seneca dicere potuit: quidquid cogito et scribo, formam *κόλου* habet. Ideo quia Seneca etiam poeta erat, forma numerosa striate circumscripta in omnibus eloquendi modis utebatur.

Seneca philosophus a patre, sententiarum breviumque dicendi membrorum amantissimo, eadem loquendi consuetudine eruditus adeo perfectus est, ut aliter scribere numquam posset. Seneca, ut erat sententiarum cupidissimus figurarumque verborum peritissimus, formas ad opiniones manifestandas opportunas secundum suum iudicium eligere poterat, ut animos lectorum afficeret et ad finem propositum perduceret. Seneca, qui homo erat opulentissimus, sensu libertatis dicendi plenus neque praeceptis alicujus sectae coactus erat, ut stricte et anguste vias docendi definitas percurreret, quamquam re familiari ditissimus erat, tamen sententiis quoque maxime variis abundabat. Quintilianus autem vias reverentia puerorum determinatas progredi debebat. Seneca philosophus alium finem scribendi atque Quintilianus rhetor habebat; praeterea Seneca alia et profundiore et subtiliore hereditate indolis ornatus et ad altiora studia sapientiae destinatus erat atque Quintilianus. Seneca propter suum genus dicendi Asianis adnumerari potest, Quintilianus contra *Atticus*, ut ita dicam, nominetur oportet. Quintilianus scholae, Seneca vitae scripsit. Quintilianus praeceptor puerorum, Seneca liber doctor virorum fuit. Quintilianus erat cathedrarius doctor rhetoricae, qui salarium e fisco accepit; Seneca non erat cathedrarius philosophus, sed promptissimus ad moraliter agendum. Quintilianus orationes declamare poterat, argumenta nova proferre nequibat. Seneca rationes et argumentationes proponebat et vetera argumenta nove enuntiabat. Quintilianus erat pueros artem dicendi docere, ad studia altiora praeparare, aptos reddere ad libros Senecae utiliter legendos. Rhetor igitur erat quasi praevis et explorator eorum adulescentium, qui ad Senecae philosophi opera intellegenda idonei essent. Quintilianus pueros de fundamentis artis rhetoricae instituebat, Seneca adultorum vitam moralem corroborare et perficere cupiebat. Quintilianus studio et cognitioni verborum operam dabat, Seneca divinarum humanarumque rerum cognitioni studebat. Quintilianus venator verborum, Seneca vero venerator sententiarum erat. Quintilianus cultor elocutionis, Seneca propagator mentis seu intellegentiae erat. Quintilianus scripsit institutiones, quae ad educationem puerorum et ad fundamenta rhetoricae pertinent, Seneca autem quaestiones, quae ad summas veritates vitae inquirendas spectant. Quintilianus de rebus communibus et terrestribus, Seneca de rebus supremis et caelestibus agebat.

Quintilianus Senecam in lectum Procrustae, qui ita vocatur, regularum rhetoricae communis cogit, ut excellentem illum scriptorem philosophum ad normam minoris mentis torqueat et membra resēcet. Quintilianus iudicium de Seneca hoc errore laborabat: Seneca vituperatur tamquam auctor, qui consulto opera pueris apta scripserit; philosophus hispanus non comparatur cum aliis scriptoribus, qui simili modo dicendi usi sunt. Quintilianus alios philosophos in decimo libro *Institutionum Oratoriarum* laudatos non eadem stricta ratione utilitatis juventutis tractat quam Senecam; rhetor igitur non sine ira et studio neque sine invidia de Seneca iudicavit. Quintilianus de Seneca ut philosopho sic aestimat: «in philosophia parum diligens»; quamquam hoc iudicium non omnino definitum videtur esse, tamen haud scio an conveniat. Sed, non sit philosophus perfectus Seneca, nihilo setius optimus

scriptor sui generis esse potest; et ob quemdam diligentiae defectum philosophandi in Seneca non est cur acerbè castigetur ejus dictio. Quintilianus semper reus invidiae et obreſtationis contra Senecam philosophum remanebit. Seneca ut erat philosophus, sublimiore indole praeditus erat quam Quintilianus rhetor. Quintilianus mediocri et illepido ingenio, Seneca sublimi et lepidissimo animo scripsit. Seneca ad vitam degendam animosque colendos curandosque multo plus habere videtur utilitatis quam Quintilianus. Seneca philosophus ingenii magnitudine, fertilitate inventionis, scribendi praestantia, amplitudine operum Quintilianum longe superavit. Quintilianus de Seneca judicans inique egit; rhetor philosopho obreſtavit, hispanus minor, hispano majori invidit; propter mentis angustias rhetor simultatem contra philosophum ex eadem patria oriundum prae se tulit. Seneca semper de Quintiliano triumphabit. Quintilianus fuit auctor cotidianus, Seneca autem saecularis.

EMIL ORTH

## Magister Beatus Joannes de Avila

Bonarum litterarum, ac latinarum quoque, eximius fautor

Diuturni silentii — ut ciceronianis verbis utar — quod mihi usque adhuc fuit retinendum, non tepida quidem voluntate, sed partim timore aliquo, spe partim multo potioris calami, finem hodiernus dies attulit. Tantam enim nostri saecularis sacerdotis eximiam dignitatem in culmen eveſtam, tam inusitatam inauditamque illis temporibus in pueros a Deo electos benevolentiam et fomentum, tantum litterarum, latinarum quoque, insignem fautorem, tam denique clarissimum leviticae juvenum institutionis exemplar, revera caeleſte, nemo tacitus ullo modo jam praeterire potest.

Nonne ex Urbe audistis Beatissimam Vocem, datam sub annulo Piscatoris die II mensis Junii anno exeunte: «*Beatum Joannem de Avila, Confessorem, Cleri Saecularis Hispaniae praecipuum apud Deum Patronum confirmamus seu declaramus et constituimus?* » Quis profecto classicarum litterarum cultor omnium ejus operum vel suavissimam doctrinam ardore illo paulino in vehementissimum Christi Crucifixi animarumque salutis amorem imbutam, vel litterariam sive epistularum sive tractatum omnium pulchritudinem terque quaterque non degustavit? Quis denique inter lectores, non modo de omnibus illis per Granatensem Archiepiscopum D. Petrum Guerrero ad Tridentinum missis, sed de illo etiam efficaci in collegiis erigendis interventu certior minime factus est? »

Quae etsi ita esse pro certo habeam, opinor tamen perutile esse ex omnibus huc illuc dispersis aliqua, quae ad PALAESTRAM magis spectant in tria haec revoca-

1 *Brev. Pontif.*

2 *Miscelánea Comillas III* — «*Dos memoriales inéditos del Beato Juan de Avila para el Concilio de Trento*». — Edit. P. C. M.<sup>a</sup> Abad, S. J. ( 945)

re: collegia esse erigenda, maximum linguae latinae momentum, pro animis textus et praeceptores honestos habendos, pro corporibus autem scholas salubres.

### Collegia erigenda

En B. J. de Avila praeclara mens:

«Ecclesia, ministros probata doctrina et virtute requirens, operam non quomodocumque dare debet, ut ad hunc altissimum finem deputati jure meritoque instruantur; secus eosdem, ut Christi legatos praeficere in vacuum incideret. Ne unusquisque que de hac re ulla prorsus est dubitatio.

«Si vero inquirimus quo pacto ab episcopis, qui dioecesibus praesunt, res in praxim sit gerenda, etiamsi quidem —ait B. J. de Avila— unusquisque aliquando opinari posset et sententiam suam proferre, nequaquam tamen hodie fas est, propterea quod Concilium Toletanum IV jam de hac re recte judicavit: Omnis aetas, legimus in can. 24, ab adolescentia in malum prona est, nihilque incertius quam vita adolescentium. Ob hanc constituere oportuit ut si impuberes aut adulescentes in clero existunt, omnes in uno conclavi commaneant, ut lubricae aetatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputato probatissimo seniore quem et magistrum doctrinae et testem vitae habeant. Quod auctoritate S. Augustini et Ambrosii roboratur.

«Cum Ecclesiae sacerdotes ut et penitentiae ministros animarumque curatores, et verbi Dei praecones, opus sint, duo collegia pro singulis muneribus instituantur, ubi Christi gratia, diligenti Episcopi cura et assiduo labore tam apti ad divinum ministerium dispensandum educantur, qui ecclesiam re quidem vera constituent ordinatam ut castrorum aciem».

Mirum in modum novi nuntii de collegiis a Beato erectis ad nos per ephemerides veniunt, sive pro electis ad sacerdotium, atque documenta inventa, quae horum fidem faciunt, in dies crescunt.<sup>3</sup>

### Maximum linguae latinae momentum

Celeritas nimium saepe quam maxima in primum Sacrum offerendum illis diebus, in quibus venerabilis sacerdos Joannes de Avila apostolicam vitam agebat, sine ulla dubitatione omnibus nota est.<sup>4</sup> Sequitur inde haec omnia cum latinitatis detrimento non semel advenisse, et simul quare animi sano timore imbuti hoc negotium coram Dei viro perscrutari voluerint.

Exemplum habes in illa epistula ad magnificentissimum D. Franciscum, ex nobili Gusmanorum abulensi familia natum. Magister, postquam brevitatis epistularum ob valetudinem, in malum vertentem, rationem aperte reddidit, facere non potuit quin, ad rem de qua eum consuluerat, forte pro adversa parte, suam sententiam his perspicuis verbis proferret: «quod ordinem Presbyteratus propter reveren-

<sup>3</sup> Id. id. p. 10, sqs. et pag. XIX introd. — p. 26, nota 1.

<sup>4</sup> Cf. etiam: V. Beltrán de Heredia. O. P.: «La formación intelectual del Clero en España durante los siglos XII, XIII, XIV — Rev. E. Teología, Vol. VI. ps. 313 sqs. (1946). Mutritt.



tiam aliorumque exemplum in quadragesimali illius anni tempore, nec sine convenienti linguae latinae scientia accipiat, nec, ea acquisita, sine spiritualibus exercitiis, operamque det pro virili parte ne studii occupationes orationem aliave pietatis exercitia quandoquidem suffocent eisque noceant.<sup>5</sup> Nemini igitur mirandum est si ex tribus remediis pro ecclesiastica reformatione in memoriali ad Tridentinum propositis, ut pernicioso mala, exorta ex facili tonsurae concessione vitarentur, hoc enumeret: «ut tonsura, praeterquam in grammatica edo&is, nullo modo concedatur». <sup>6</sup> Quot vero anni grammaticae tribuendi?

Ipse, cum et collegiorum instituendorum necessitatem, et studiorum rationem paulo ante summatim describeret, annos, qui necessarii essent, assignare his verbis minime dubitavit: «Bonum esse in grammatica ad minimum per quattuor vel quinque annos versari, sic enim in aetate, virtute et scientia crescentes, auctoritatem sibi conciliabunt altissimumque munus sine periculo pertra&abunt.»<sup>7</sup>

### Pro animis textus et magistri honesti, pro corpore scholae salubres

Jam in alia ephemeride illum Christi amorem in pueros, quo flagrabat Beatus, breviter inuimus.<sup>8</sup> Hinc non est cur inmoremur, si mentem deligamus in illam curam vere paternam quam erga eorum animas non raro monstravit: in re catechetica, in nocturna instructione, in speciali pro orbatis providentia, ceteraque...

Satis nunc erit duo quae ad textuum magistrorumque honestitatem et aularum salubritatem attinent in memoriam revocare.

«Si de studiis —ait— linguae latinae quaestio instituat, in reformatione ob oculos erit habendum plerosque libros res turpissimas continere. Nunc vero, cum ab adolescentibus et juvenibus legantur vel audiantur, malum, ut patet, infestissimum in ipsorum animas inferre poterunt. Oportet igitur ab iisdem libris, omne, quod scandalum sonat, radicitus expungatur, et, quod bonum, ne latinam perdat, omnino servetur. Idem de libris vernaculis asserendum. Discamus a Lacedaemoniis, quibus poetae Archilochi versus videbantur ad turpitudinem incitare. Exin, licet non minima elegantia praeditis reje&ti sunt».<sup>9</sup>

«Magister ab Ordinario approbatus, et doctrina eruditus et saltem mediocri sanctitate una cum praefectore indubiae virtutis, vigilandi gratia, aequae atque in Collegiis Societatis Jesu ne denegetur».

«Ita haec decent, ut nec factis, nec verbis aut scriptis diabolus innocentiam baptismalem latrocinari possit. Maxima debetur puero reverentia».<sup>10</sup>

«Loca aptiora demum ad salutem erigantur neque capacitas contemnenda si

5 B. I. DE AVILA; «Obras completas.» Edit. Apostolado de la Prensa 1941, t. I, pag. 1032 — Epist. 207.

6 *Miscelánea Comillas*, III cit. pag. 28.

7 » » » » » 12.

8 *Cristiandad.* — 1 April, 1946, pag. 149 - 151 - Barcelona — «Estampa catequística de un Apóstol Español».

9 *Miscelánea Comillas*, III cit. ps. 35 - 106 - 116 praesertim cf. etiam. Edit. cit. «Obras completas» t. II, p. 234, exemplum ex Eutropio desumptum Hist. Rom. cap. VIII

10 *Miscelánea Comillas*, III. cit., not. 2, pag. 35 - JUVENALIS, Sat. 14, V. 47.

quidem nisi talia, et pueris infirmandi causa et optimatium parentibus liberos ad illa collegia non mittendi ansa praebetur. 11

\* \* \*  
Quae usque modo dicta, quaeso, adjunctis omnibus, temporis praesertim, rite perpendas, sicque mea vota videndi in catalogo Sanctorum et Doctorum Ecclesiae Beatum Joannem de Avila erunt quoque tua. Deus faxit.

MARTYRIANUS BRUNSÓ, PATER.

## Compositiones vertendae

### RESISTENCIA DE LOS SOCIATAS

Se luchó larga y animosamente; porque (1) los Sociatas (2) envalentonados con las anteriores victorias, creían (3) que en (sólo) su esfuerzo estaba puesta la salvación de toda la Aquitania, y los nuestros, destituídos (4) de (su) general, sin (el auxilio) de las demás legiones y bajo el mando de un adolescente (5), ardían por hacer experiencia de su valor (6).

(Pero) al fin los enemigos, cubiertos de heridas, volvieron las espaldas. (Y) dejado sobre el campo (7) un número considerable de ellos, Craso, interrumpiendo la marcha (8), comenzó a batir la ciudad de los Sociatas. (Mas) como se defendieran éstos (9) con obstinación, mandó acercar (al muro) las torres y manteletes (10). Ellos (empero) ya intentando salidas (11), ya tirando galerías subterráneas (12) hacia nuestras máquinas y trincheras, para lo cual tienen rara habilidad (13), como lo atestiguan (14) las minas de cobre (15) en muchos de sus lugares, luego que por la diligencia de los nuestros entendieron lo poco (16) que podían aprovechar con semejantes industrias (17), enviaron (18) legados a Craso pidiendo (se dignara) aceptar la capitulación (19). Conseguido lo cual, e intimándoseles la entrega de las armas, obedecieron (20).

NOTAS: 1. cum con subj 2 Pueblo de Aquitania. 3. putare. 4. sine. 5. adulescentulo duce 6. cupere perspicere quid efficere possent. 7. interfecto. 8. ex itinere. 9. relat. con ablat. abs. 10. vineae. 11. temptata eruptione. 12. cuniculi 13. cujus rei longe peritissimi... sunt. 14. propterea quod multis locis apud eos... sunt. 15. aerariae. 16. nihil. 17. his rebus. 18. constrúyase en pres. 19. in deditionem recipere. 20. faciunt.

### INACCION PELIGROSA DE F. MAXIMO

Post calamitatem quam Romani acceperant apud Cannas, creatus imperator (1) cum Claudio Marcello, viro audaci, semperque gestienti cum Hannibale configere (2), Fabius potius (3) sperabat futurum ut, si pugna abstineret Hannibalis exercitus, ductu temporis deficeret (4).

Id sentiens (5) Hannibal dixit se magis formidare Fabium a pugna quiescentem, quam Marcellum pignantem.

NOTAS: 1. creatus imperator: nombrado generalísimo 2. gestienti configere: afanoso por trabar combate. 3. potius: por el contrario, más bien. 4. ductu temporis deficeret: con el (decurso del) tiempo a la larga viniese a menos. 5. id sentiens: percatándose de esto.

11 id id. id. pag. 106.

## Epistolia soluta

EM. E. (*Ilerdae*). — PALAESTRAM nostram, licet pluribus te negotiis implicatum et legere et amare video. Probum iudicium: vitae asperiora melle admiscenda sunt. — Illam voculam *primavera* latine vertimus *primulam veris*, gallice vero *primavère*, nam non tempori anni, sed cuidam *flori* respondet

A. B. (*In C. B.*). — Nimum forte anxio haeres animo in vertendo T. Livii opusculo; inest tamen saepe intimus ac reconditus sensus, sedulo investigandus. — Ut te facilius expedias atque alumni fructum aliquem percipiant, scripto quasdam Livii narrationes convertant in Hispanicum. Versionem illam Bibliothecae Classicae Hispanicae huius facile probarem. Collectio Garnier (gallica) vel alia rem tibi faciliorem reddent.

J. A. (*Orio*). — Adhuc longi tibi restat via. Rem et versiculos tuos melius cum musis componas oportet, ne forte cum poeta stomachentur. Hymnus «*Sanctorum meritis*» —cujus interrogis metrum— tribus asclepiadēis et glyconio constat, strophæ scilicet asclepiadææ; versus vero hymni «*Decora lux aeternitatis auream*» sunt iambici trimetri. At versiculi tui pluribus mendis laborant. Illas in primis leges recole: «nullus in iambicis debet esse pes trochæus et ultima sedes semper iambo est tribuenda». Non tantum musicae, sed et prosodiae latinæ incumbere diligenter.

H. M. (*Caesaraugustae*). — Nimum forte te molestiis afficio; nunquam tamen te litterarum latinarum taeduisse in animo inducam. Te, igitur, interdum veniam, tua consilia et iustum in litteris iudicium plurimum facio. Ne desieris PALAESTRAE et novellis poetis manum benigne tendere.

M. BR. (*Gerundae*). — Laudes quas mariologo nostro —Rdo. P. Narcisso García— tribuis fraterno animo accipio illasque ad fratrem remittam libenter. Ille alius Nicolaus —de quo loqueris— est Rmus. P. Nicolaus García, qui nunc sapienter Congregationem nostram regit et moderatur. Consilia tua Deus et benedicat et bene vertat et utinam in te «honus sit praemium virtutis». — Nomen tuum in nostro martyrologio non repperi, et interrogare audeo: scribendum *martyrianus* an forte *martyrianus*? id etymon expostulare videtur.

J. C. ET A. O. (*In U. Albacete*). — Vobis gratiam habeo maximam, quod mei in nominali die memores fuistis. Morae et incuriae amici, indulgeatis quaeso. Carmina Alphonsi satis concinna: amicus tamen vester et meus nimum forte studium in epithetis apponendis animadvertit. Amorem tuum, Alphonse, erga Aloisium nostrum probatissimum intellexi. Si litterarum amore et pietate fraternæ obstricti fuistis, amisso amico, in ejus locum succedere debes in PALAESTRAE amore. Poëma illud Exemo. Dno. Episcopo dicatum, si breviusculum reddideris, opportuno tempore facile edi poterit. — Nunc ad quaestiones. Neque «*etologium*» neque «*annologium*» prorsus placent; qua re *necrologium* vel *sanctologium* non adhibetis *Franciscanum*? et forsitan magis arrideret illum librum cum Prudentio vocare *Peristephanon Franciscanum*.

TH. D. (*Alabonae*). — Alumnorum scriptionibus maxime sum recreatus; eas in nostris pagellis inscriptas vides. Quam insequuntur viam novelli scriptores, pergant indefessi.

P. S. T. (*Calagurri*). — Quod PALAESTRAM ad manus citius atque statuti temporibus non habeatis et nobis et vobis aegre, sed tamen ferendum est. — Moris est ut ad conscriptores — pusillos quoque — PALAESTRAE fasciculum mittamus, quo proprio nomine typis inscripto magis delectentur. — Nunc autem, occasionem arripiens veniamque deprecans, amico illo tuo haec de libro referes: Haud ita frequenter *catena auri* adhibetur sed *catena ex auro* vel aurea; leges de comparativo aliqua indigent retractatione; scisne vere classicos scriptores dixisse *duo* vel *aliqui inter milites?*; illudque, nonne tibi et omnibus horride ac barbare dictum videtur, *virtus amanda fuit a me, habeo librum emendum tibi vel a te?* Et quid de illis locutionibus: «Credimus Apostolis locutis in nomine Christi; Vidi damnatum exulatum per praetorem; Video dormiri a te; Bucephalus videbatur Alexandro domitus fuisse ab ipso; Christus movet nos ad colendum virtutem; Coepit (coeptum fuit) doceri mature a me»? Ceterum *sperabam victurum esse Davidem* non significat *esperaba vencer a David, sed que David vencería*; deest in oratione pronomen *me* nullo modo omittendum: *sperabam me victurum esse Davidem*. Haec et alia forte aliqua indigent emendatione, ne alumni perperam sermonem latinum addiscant.

J. M. (*Celsonae*). — Prima fronte tenebrosiorem at lepidum effinxit labyrinthum Dnus. Palacín. Alios exspecto. — Curam, quam de libris scribitis, plurimum laudo. Mendum, quod forte irrepsit, hoc fasciculo retractandum curamus. Ex carmine tuo — Ovidiana suavitate perfuso — maximam percepi voluptatem; versiculi quoque vigiles curas, te auctore, non parum levarunt. Quí aliter fieri potest illa legendo:

Ut tibi promisi quondam, dilecte Magister,  
Expectata diu tandem tibi carmina mitto.  
Quae si grata tibi fuerint vigilesque levarint  
Quae fortasse tuo sedeant in pectore curas,  
Jure tuos dicar suavissimus inter alumnos.

DR. E. O. — Quod iterum rogas, curabo; at mihi crede, omnes varietate et scriptorum et dicendi generum delectamur. — Novas scriptiones tuas accepi omnes. Tibi gratiam debemus maximam.

FR. FR. X. A V. C. (*Villae francae*). — Tuis denuo litteris recreatus sum; sales alumnorum tuorum leges cum eis libenter. Postquam elucubrationem miseris integram de B. B. Mantuano, tibi morem geremus.

*Seminarii minoris Barcin.* — Plurimum doleo tuorum alumnorum scriptiones tempore non advenisse. Diu in sede Administrationis quasi erraverunt. Deinceps ad nos mittas oportet. Attamen, uti vides, alumnos tuos non praeterivimus.

---

CORRIGE versum pagellae 261, in 1.<sup>a</sup> l., et muta *Aelius* in *Delius*.



SPES — DICCIONARIO • ILUSTRADO LATINO-ESPAÑOL ESPAÑOL-LATINO. — 2.<sup>a</sup> ed. revisada por D. Vicente García de Diego Ptas. 30

SPES. — DICCIONARIO ABREVIADO LATINO-ESPAÑOL ESPAÑOL-LATINO — Reducción del anterior para los primeros cursos del bachillerato Ptas. 14

PABON-ECHAURI — DICCIONARIO GRIEGO-ESPAÑOL con lista de formas verbales y apéndice gramatical. — 2.<sup>a</sup> ed., revisada por D. José M.<sup>a</sup> Pabón. Ptas. 40

DICCIONARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA. — Prólogo de R. Menéndez Pidal y revisión de S. Gili Gaya;

Encuadernado en tela	Ptas. 125
id. en media piel	» 150
id. en piel	• 200

#### CARACTERÍSTICAS PRINCIPALES DE LA OBRA

Ahonda en los usos y significado esencial de los verbos mediante una sistemática concatenación de sus acepciones.

Extrema la claridad en la explicación de preposiciones, conjunciones, adverbios.

Recuerda el origen de las palabras, mediante etimologías, prefijos, sufijos, parasintéticos, dobles etimologías.

Facilita la rápida y segura consulta de la Gramática, mediante la científica explicación de su terminología y los resúmenes de sus normas principales.

Trata los términos de religión, filosofía, derecho, etc., con especial rigor científico, dentro de la obligada concisión.

Señala los vocablos y giros incorrectos, junto con la expresión que debe substituirlos.

Da los plurales, diminutivos, pretéritos, etc., cuya formación puede ofrecer dificultades.

Concibe las ilustraciones, no como un mero adorno de la obra sino como explicación gráfica de la palabra.

#### EDITORIAL SPES

Paseo Emperador Carlos I, 149

Telegr. EDISPES

BARCELONA - 13

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

**VINOS DE MISA**

**J. DE MULLER, S. A.**

**TARRAGONA.**

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

**Garantía de absoluta pureza**

**EXQUISITA CALIDAD**

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# Bibliographia

FERNÁNDEZ, S. S. — «*Práctica y teoría*» o «*Mi primer libro de latín*». — Montevideo. Tip. Talleres Don Bosco, 1945. 3.<sup>a</sup> ed.; «*Práctica y teoría*» o «*Mi segundo libro de latín*», 1944, 2.<sup>a</sup> ed.

Quamquam innumerabiles paene libelli magis ad exitium quam ad bonarum artium incrementum hodie pervulgantur, haud desunt tamen qui gravissimum edocendi officium suscipientes, magnopere ad rectam puerorum institutionem nitantur. Quos inter, lectores humanissimi, hos libellos magno adolescentium amore conscriptos ac nitida typorum forma exaratos, si attente perlegeritis, non dubito quin libenter ponatis.

En. ut brevi dicam quod in locupletissima praefatione disseritur, duplex libellorum finis: *In primis* ut apta facilisque deveniant instituendi ratio ad pueros in Ecclesiasticis praecipue Auctoribus erudiendos, *Deinde* ut idoneum quasi instrumentum Ecclesiasticae institutionis adhibeantur.

At cum in totius operis tractu illa vetus Classicis, quae dicuntur, litteris reverentia penitus forsitan desideretur; liceat, auctoris pace, nostram de earum utilitate sententiam proferre.

Omnis quidem sancta ac venerabilis traditio, quae jam a primis Ecclesiae Patribus exorta, nostram ad usque aetatem porrecta est, mirabili quadam conspiratione illud saepissime docuit: Ut omnis, scilicet, quae in bonis litteris recta incipitur institutio, a jugi Classicorum Auctorum studio debeat proficisci.

Quam ob rem a tantis adolescentium magistris eos arcere animumque ipsorum minoribus quasi rivulis satiare, mihi quidem, omnibusque fortasse illis qui optimarum artium studiis delectantur, minus consentaneum videbitur. Nam si ordo naturae, optimae quidem ductis,

cui semper parere debemus, in puerulis edocendis ita servandus est ut, omni de stili perfectione cura posthabita, illud solummodo intendatur, ut discipuli nempe in graviora sermonis vitia incurere caveant; id tamen minime impedit quominus, adhibita rerum omnium moderatrice prudentia, Classicorum auctoritatis etiam in puerorum institutione rationem habeamus.

Quin etiam ipsa natura luculenter edocet ut ad meliora teneros adolescentulorum animos dirigamus; tum quia bonae litterarum consuetudines ea in aetate facilius imprimuntur, tum quia vitiosae non sine magnis multisque laboribus eradicantur.

Ignoscat, precor, auctor, sibi que persuadeat esse libellos quidem nobis jucundos, sed multo fore jucundiores si, qua fulgent, instituendi ratione, veterum scriptorum elegantia jungeretur.

ISIDORUS MAULEÓN, C. M. F.

X. ECHAVE-SUSTAETA, *Lengua Latina*. — Roma I. Barcelona, 1946 Pág. 132

Hunc pulcherrimum fasciculum, quem lectoribus PALAESTRAE commendamus, nihil aliud est quam brevis anthologia pueris alumnis utilissima. Ab omni regularum sarcina liberata, continet, in tres partes divisa, facilliora frustra ad lectionem et locutionem latinam ineundam. Frusta quidem selecta, varia, jucunda quae puerorum animos alliciant sensimque sine sensu in fanum latinatitatis inducant.

Ingenuitate quadam Doctor Echave aliis se debitorem profitetur, nihil obstat quo minus in hoc opere conficiendo magnam gloriam mihi videatur adeptus, si adhuc vim retinet horatianum illud: «omne tulit punctum qui miscuit utile dulci».

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

# Exercitationes Scholares

## I. — De parentum amore erga filios

Erat Mugentii, quod est Siciliae oppidum, vir quidam, opibus et gloria, princeps civitatis, cui cognomen Cambatus. Hic, venatum egressus, ad oppidum tendere coepit, jam paene cum in latronum manus incidisset. Tunc forte occurrens vectus equo, pater ejus, statim desiluit atque hortatus est filium ut confestim, incenso equo, in civitatem pergeret. Filius vero, quod salus sua patris incolumitati praeferretur non est passus, nec pater vicissim, projecto filio ad certam mortem, periculum fugere voluit. Itaque, dum alter fleus precabatur, atque inter se uterque pugnabant, paterno pugnante amore erga filium cum filii pietate erga patrem, interim, latrones utrumque adepti, confoderunt.

## II. — Historia Sertorii cervae

Erat Sertorio cerva candida eximia pulchritudinis quae fuit ei magno usui ut milites obsequentiores haberet. Sertorius assuefecerat illam audire se vocantem, atque sequi, proficiscentem. Omnibus persuasit se ab illa moneri quibus sibi opus esset et eam donum esse deae Dianae. Cum quid jubere volebat gravius, nuntiabat monitum esse a cerva et statim libenter oboediebant.

In quadam inimicorum incursione amissa est cerva et perisse credita, quod Sertorius aegre tulit. Longo tempore post a quodam homine inventa est. Sertorius, tacere illum hoc nuntiantem, jussit et cervam quoque immitti in locum, quem signavit ex quo jus dicebat. Ipsemet, facie ridente, progressus palam dixit cervam quae perierat, sibi visam esse ad se reverti. Tunc cerva emissa ex composito, ubi Sertorium vidit, hilari saltu ad tribunal progreditur et ore suo dexteram lambit sedentis, unde magnus

clamor factus est atque omnium admiratio orta est.

MICHAEL ROURA, C. M. P.  
*Alabonae - III cursus alumnus*

## III. — Babylonis expugnatio

Cum rex Cyrus Croesum, regem Lydiae, vicisset, Babylonem expugnare constituit quae post longam obsidionem capta est.

Civitas Babylon opulentissima et ingentissima muniebatur fossa et muris altissimis praecipueque. Igitur eam expugnare difficillimum erat.

Postquam advenit Cyrus cum magno exercitu, adversum illum statim babylonii pugnare voluerunt, sed victi sunt et iterum luctare non ausi sunt. Castris, porro, positis, Cyrus urbem obsidere coepit: vastitatem agris attulit et comatus prohibuit quominus intrarent ut babylonii fame dedere urbem cogerentur.

Fiducia autem rei assequendae eum fefellit quia jam in urbe frumenti ubertatem habebant, quare rex Cyrus dolum adhibuit.

A. TOMÁS, C. M. P.  
*Alabonae*

## IV. —

Timon quodam die ad contionem habendam in rostra ascendit. Siluere qui coram aderant cum illum rem magni momenti putarent esse dicturum — raro enim concionabatur —: Post aedes meas, viri Athenienses, ait, hortulus est in quo ficus — de cujus ramis suspenderunt se multi —, etiam invenitur. Hoc in fundo structuram decrevi ponendam et ideo palam rem facere mihi videtur, ut si quis praeterea laqueo cupiat suspensus periri, id maturet prius quam arbor obruncetur.

HENRICUS DIES  
*de IV C.*  
*Seminario Menor Ntra Sra de Montealegre  
Tiana (Barcelona)*